



**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

Appendix. De Communicatione Idiomatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](#)

APPENDIX

De Communicatione Idiomatum.

AGetur imprimis de Communicatione Idiomatum in Communi: deinde de Communicatione Idiomatum in Particulari.

De Communicatione Idiomatum in Communi.

RÆMITTO 1. *Quid sit communicatio idiomatum?*

EXPLICAT Suarez, & ita illam definit: Quod sit propriatum, seu attributum divinorum, inter Deum & hominem, mutua prædicatio. *Hoc illius Doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia tradit definitionem communicationis particularis, factæ in Christo, cum non definivisset communicationem idiomatum, in communi. Tum quia recte communicatio idiomatum potest, in primò intentionalem, & secundò intentionalem, dividi. Quamvis ergo hæc definitio possit competere communicationi idiomatum, secundò intentionaliter accepta; non competit tamen communicationi idiomatum, primò intentionaler, & quoad fundamentum illius prædicationis, sumptæ. Tum quia datur in Christo una communicatio, secundum quam, non solum proprietates, & attributa Dei, sed ipse Deus de homine dicitur: cùm tamen esse Deum, non sit proprietas, seu attributum Dei: sed radix attributorum ejus, & propriatum; hinc saltem hæc definitio, non constat rigorosis locutionibus, si nomine proprietatis, dicas venire posse, etiam prædicatum Dei.

His rationibus dubitandi ut satisfiat, si velis communicationem idiomatum, primò intentionaliter acceptam, ut sic, definire: erit, *Duorum unitorum, in prædicatis, alias non nisi huic propria, vi unionis identitas, seu participatio:* quod scilicet prædicatum A, uniti, sit prædicatum B. ex vi unionis, & prædicatum B, sit prædicatum A, ex vi unionis. Dixi esse *identitatem prædicatorum vi unionis*: quia animal dicitur de bove, & dicitur de homine, nec tamen dicuntur communicare, propriæ in idiomatibus; quia non id est vi unionis inter bovem & hominem: nec dicuntur propria prædicata bovis, de homine, quale est prædicatum mugibile: nec prædicata propria hominis, de bove, quale est prædicatum rationale. Dixi rursus, quod sit *communicatio in prædicatis* & non in hoc, quod est esse Deum, datur communicatio idiomatum: ly autem Deus non est proprietas v.g. VERBI, sed prædicatum.

Porrò Communicatio idiomatum secundò intentionaliter accepta, est *prædicabilitas, secundum quam, de duobus unitis, prædicata, non nisi huic propria, vi unionis dicuntur.*

Quod autem condistingenda sit communicatio idiomatum, primò intentionaliter accepta, à communicatione secundò intentionaliter accepta, ratio est. Tum quia alias prædicabilitas daretur, sine fundamento, si nulla esset primò intentionalis communicatio idiomatum. Tum quia, cùm de facto, ut explicatum est, habeant diversos conceptus, necessariò diversa definitione definiendæ sunt. Tum quia, si non daretur ulla communicatio primò intentionalis, id ideo esset, quia hæc communicatio, consistet in reali communicatione, attributorum, v.g. divinitatis, factæ humanitatib; quam tamen contra hæreticos omnes negant. Sed non consistit in hoc dicta communicatio, ut infra dicitur: Ergo non obstat illam dari.

RÆMITTO 2. *Quotuplex sit communicatio idiomatum?* Duplex rigorosa assignari potest. *1ma* secundum quam, duo accidentalia communicant sibi in propriis prædicatis; & sic dicitur, hoc album est dulce; & hoc dulce est album; *2da* communicatio idiomatum est, secundum quam, duo substantialia communicant sibi in propriis prædicatis; ut cum dicitur: Homo est Deus, Deus est homo: ubi & ly Deus, & ly homo, sunt extrema substantialia. Dixi autem, quod duplex sit communicatio idiomatum rigorosa; quia non rigorosæ, plures inveniri possunt: ut cum dico: Niger hæc fuit, hoc est, homo nigro colore vestitus, &c. similia, quæ non tam sunt communicatio idiomatum, quam potius denominatio facta.

RÆMITTO 3. *Quod sit communicationis idiomatum, ejusq; rigorosæ, fundamentum?* Responderi universaliter potest, esse unicum: sed id proportionatè ad singulas materias applicandum est: nam, si sint prædicata inter terminos substantiales, ordinem naturalem inter se dicentes, erit unio, ut ita dicam, in natura: secundum quam dici v.g. potest, hoc rationale esse corporeum, & hoc corporeum esse rationale: quæ communicatio idiomatum, non datur soluta unione. Rursus, si sint prædicata inter terminos substantiales, ordinem naturalem

Appendix.

lem inter se non dicentes, union non erit jam in natura, sed non nisi in persona.

RATIO 1. asserti est authoritas Patrum. Sic docet Damasc.lib.3. Fid.c.4. *Ipsa, inquit, modus est alternationis, alterna taque attributionis utriusq. naturae, alterutri propria, vicissim redditus, propter hypostasos identitatem, & ipsorum in invicem immanentiam, ac incursionem.* Similia habet Greg. Niss. lib. 4. contra Eunomium. *Propter connexionem, inquit, & coherentiam naturarum, ista que singularum propria sunt, ambarum sunt communia.*

RATIO 2. est. Quia omnis prædicatio attendit ad ipsum objectum, & ad identitatem, vel alietatem objectivam: Ergo & communicatio idiomatum secundo intentionaliter accepta, debet attendere ad identitatem vel alietatem objectivam. Sed v.g. identitas inter extrema substantialia, non potest esse alia, nisi quoad rationem subsistentiae: Ergo ad illam attendi debet. Minor probatur. Quia hæc identitas non potest esse in natura, ut suppono ex sparsim dictis: Ergo non nisi debet esse in persona, quia in aliquo substantiali: duo autem non nisi sunt substantialia, Natura & Subsistentia, quæ gaudere possunt unione Substantiali.

RATIO 3. est. Quia, casu, quo v.g. divinitus penetrarent se Paulus & Jacobus, & Paulus esset niger, Jacobus albus, Paulus esset sanctus, Jacobus malus, falsum esset dicere; hic albus est niger: & hic niger est albus; hic sanctus est malus, & hic malus est sanctus: eò quod sola illuc esset allatio localis, & non unio naturalium, vel personæ: Ergo apparet, ad communicationem idiomatum, requiri inter extrema substantialia, unionem, vel in natura, vel in subsistentia.

Quod autem communicatio idiomatum, etiam inter extrema accidentalia, requirat unionem. RATIO est. Quia albedo lactis, separata ab ejus dulcedine, & posita in altero subiecto, non posset communicare in idiomatis, cum dulcedine; nec jam possit dici, hoc album est dulce: vel hoc dulce est album. Si autem recipiantur in eodem subiecto, verum erit dicere, hoc album est dulce: & hoc dulce est album: Ergo unio, etiam inter ista, fundat communicationem idiomatum.

Nomine autem unionis, venit h̄c, non unio per accidens, seu quæ intercedit inter membra, non ordinata ad se, qualis est acervus lapidum: neque enim hæc fundat communicationem idiomatum: eò quod nullam supponat identitatem, nec in persona, nec in supposito, nec in subiecto: neque etiam nomine unionis, venit ea sola, quæ sit inter extrema substantialia: alias non foret communicatio idiomatum, inter extrema accidentalia; adeoque falsa esset hæc positio, hoc album est dulce: &

hoc dulce est album; sed venit unio inter extrema, untum per se, prout opponitur aggregate, constituentia.

PRÆMITTO 4. Plures hac in re errores excitatos ab hereticis fuisse; nam aliqui, qui unionem non nisi per accidentis, aut non nisi per affectionem, aut per personam Dei representationem, in Christo agnoscabant, nullam consequenter dicebant esse in Christo communicationem idiomatum: qui fuit error Nestorianus. Alii item, non distinguentes, quod sit aliud Operans, & aliud Operationes, cum agnoscerent, quod Christus sit unus Operans, etiam operationem non nisi unam in Christo agnoscabant: qui fuit error Monothelitarum. Et sic de aliis. Quia vero hæc communicatio, ratione operationum, saepius tractata; h̄c aliquid de illa universalius præmittere oportet. Hinc

PRÆMITTO 5. Quoniam *Essere*, est propter operari; secundum rationes essendi, multiplicantur etiam rationes operandi. Quia vero in Christo, aliud est *Essere* naturæ humanae, aliud *Essere* naturæ divinae, & aliud Personæ divinae, utrumque terminantis; hinc Patres, triplicis operationis distinctionem catholice proposuerunt. Suffecerit ad hoc citare Cyrillum Alexandr. tom. 5. parte 2. epist. 117. ad Acacium Meliten. Episc. ex diversis scripturaræ phrasibus id deducentem. *Et alia, inquit, sunt voces, que divinae maxime convenient: alia, quæ in humanam naturam congruunt; alia, medium quandam orationem tenent, ac Dei Filium parit & hominem simil., & eadem significacione, comprehendunt.* Subjicitque horum omnium exempla: *Divinitati tribuitur illa vox, Ego in Patre, & Pater in me est. Humanitatis propriæ est: Quartis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum: porro communes sunt. Iesus Christus heri & hodie, & ipse in secula.*

Triplex autem istud est, consequitur triplex ratio operandi, quam complexus est Sophronius Hierosolym. in epist. Synodali, ad Sergium, quæ habetur Actio 11. 6ta Synodi, & apud Petavium lib. 8. de Incarn. cap. 10. Et ex istis operationibus, aliquæ sunt, quas Christus per solam naturam divinam operatur, ut creare mundum; aliæ, quas operatur, per solam naturam humanam: ut edere, flere &c. aliæ sunt misteria, ut cum solo attactu ægrotos sanabat.

PRÆMITTO 6. Triplices ha operationes, semper sunt & dicuntur, non nisi unius operantis.

RATIO 1. est Auctoritas Patrum, inter quos Cyrilli Anathematismo 4. ubi damnavit Nestorium; idemque fecit Ephesinum.

RATIO 2. est: quia operationes sunt, & dicuntur suppositi: Ergo si unum suppositum est in Christo, unus est operans Christus.

RATIO 3. est: quia, si operationes naturæ humanæ non tribuerentur supposito divino,

non terminaret suppositum divinum, naturam humanam; illa enim unio secundum terminacionem, est, ut dictum, fundamentum totius communicationis idiomatum: sed naturam humanam, ut fide certum est, terminat suppositum divinum: Ergo illi supposito, ejus operationes tribui debent. Idem etiam proportionaliter dici debet, de operationibus naturae divinæ: consequenter, nulla est operatio, quæ non tribuatur supposito, quod est VERBUM. Sed hoc suppositum est unum: Ergo uni supposito tribui debet: Ergo & uni operanti: non enim plus hic intelligitur, per operantem unum, quam unum suppositum. Quod ulterius fundatur in hoc fundamento: quia operationes tribuntur iis, à quibus dependent: cum ergo operatio dependeat à supposito, ut & hic, & in Metaphysicis dictum est: supposito quoque tribui debet: & quia hoc suppositum est unum, etiam operans est unus.

PRÆMITTO 7. Difficultatem subesse aliquam, cum Patres, nonnisi triplex illud genus operationum agnoverint, quid sit sentendum, de operationibus Christi Theandricis, seu Dei-virilibus? quæ quidem non sunt rigorosè tantum humanæ: cum etiam habeant formalitatem divinarum: non item sunt tantum naturæ divinæ: cum etiam habeant formalitatem humanarum: non etiam mixta; quia ut patet ex exemplis, quæ à Patribus afferuntur, operationes illæ mixtae, importabant concursum utriusque naturæ, in genere cauæ efficientis, ad aliquid miraculosum præstandum: & sic contactus ægroti, erat id, quod physicè proficiscetur à natura humana, sanatio autem passim per Patres proficiscetur effectivè, à natura divina: jam autem operationes Theandricæ, quæ tales, non important concursum effectivum naturæ divinæ; sed solum significationem operationis, à persona divina oriundam.

Aliqui Sancti Patres, Dei-viriles operationes voluerunt esse mixtas; & ita Maximus in Epist. ad Nicon. prout Petavius citat lib. 8. c. 71. Et, inquit, Dei-virilis operatio, divina simul operationis, & virilis, complexio.

Hoc punctum ut excutiatur, præsupponendum est, primum S. Dionys. in Epist. 4. ad Cajum, usurpasse istum terminum, *Dei-virilis operatio*; verba ejusdem sunt: *Etenim, ut uno verbodicanus, ne homo quidem erat; non quod non esset homo: sed quod ex hominibus, ultra homines existet, ac super hominem, revera esset homo; qui non secundum Deum divina gessit, nec humana secundum hominem; verum Deo viro facta, quandom Dei-virile nobis operationem expressit in vita.*

Ut nihilominus tota doctrina, communiori Patrum sententiæ, conformis sit; Theandrica operatio potest dici mixta: non quod miscetur

ex concursu operationis utriusque; sed quod coalescat, ex operatione humana, & ex dignitate, quam illi tribuit, concurrens in suo genere, per modum significantis, Persona VERBI.

An vero dicenda sit una ista operatio, non autem duplex? controverti posset. Et quidem Maximus Martyr in disputatione cum Pyrrho, negat esse unam. Damascenus etiam lib. 3. c. 15. asserit esse plures: *Vt enim, inquit, naturas unitas cognoscimus, propter mutuum in se invicem incursum, neque tamen illarum discrimen inficiamur, sed eas numeramus, & indivisas agnoscimus; sic etiam voluntatum & operationum conjunctionem novimus, differentiam tamen earundem profitemur, & numeramus.* Similia repetit cap. 19. Beatus, inquit, *Dionysius novam quandam Dei-virilem operationem Christum egisse dicens, non hoc significare voluit, sublati naturalibus operationibus, unam aliquam, ex humana & divina, operationem effecitam: etenim quorum una est operatio, horum & substantia una est; ut docent SS. Patres.* Censuerim tamen, Maximum, quando negat, in Christo unam esse operationem, non plus velle, quam, quod singulæ naturæ habuerint suas operationes, licet unus esset operans. Damascenus item, plures in Christo operationes docens, non intelligebat, de hac operatione, quæ rigorosè appellatur Theandrica; hoc est, operatio naturæ humanæ, prout significata à Persona Verbi; sed intelligebat mixtam illam operationem, de qua supra: opponebatque se illi errori, qui ex duabus naturis, unam conflatam operationem asseruit. Cæterum accipiendo operationem Theandricam, prout profectam à natura humana, & significatam Personam Verbi; vel certè, prout profectam à natura humana, non sine dependentia à persona, complete naturam humanam, & in esse, & in operari: (siquidem sine persona, natura operari non potest) in isto sensu, est nonnisi una, quia à natura Verbi, quæ talis, elicitive non proficiscitur. His Præmissis

INFERES ex Præmisso 1^o. Quid Communicatio idiomatum? Ex Præmisso 2^o. Quotuplex illa sit? Ex Præmisso 3^o. In quo fundatur? Et ex reliquis, quid communicatio idiomatum in operando?

De Communicatione Idiomatum in particulari.

ASSERO. Per communicationem idiomatum, verè dici, Homo est Deus, Deus est homo. Est contra Nestorium.

PROBatur 1. Authoritate Scripturæ, hujusmodi propositiones formantis; & ita dicitur de Verbo. *VERBUM Caro factum est; quæ posse*

Appendix.

positio est eadem quæ hæc: Deus est factus homo: idem enim est; Verbum Carnem factum esse, & Deum esse factum hominem. Ita quoque Marci 15. v. 1. *Hic homo filius Dei erat;* & i. Joan. 5. *Iesus est filius Dei.*

PROBATOR 2. Authoritate Patrum; talis est Damasceni: *Non, inquit, homo solum, sed & Deus, nec Deus solum, sed & homo;* alia Authoritates, pro hoc asserta, passim occurunt apud PP.

PROBATOR 3. ratione, quæ inde imprimis peti solet. Quod & ly homo, & ly Deus, supponat pro supposito: & quia idem est suppositum, in VERBO, & in homine, habent sufficientem identitatem inter se; si sufficientem identitatem: sufficientem prædicabilitatem, quæ supra identitatem fundatur; si autem habent sufficientem prædicabilitatem: certè prædicari de se poterunt. Sed quia, an ly homo primò dicat suppositum, vel an primò dicat naturam, controversum est: non oportet assertum dubio principio probare; de quo vide Lugo h̄c disp. 23. Sect. 1. & Amicum disp. 33. num. 3. Hinc paulò aliter eandem conclusionem probat Suar. disp. 35. Sect. 1. §. Dico z̄id. Quia scilicet, quando duæ formæ, vel naturæ, in eodem supposito realiter uniuntur, de eodem possunt prædicari: unde fit, ut in ordine ad idem suppositum, seu sub nominibus connotantibus idem suppositum, possint proprietates unius naturæ, de individuo, seu supposito aliis naturæ prædicari: ut in formis accidentalibus constat: calor enim & albedo si eidem supposito insint, de eodem prædicantur: unde fit, ut hoc album dicatur calidum, & è converso. Sed in hoc mysterio uniuntur duæ naturæ substantia liter eidem supposito: Ergo nomina significantia illas naturas, in ordine ad suppositum, ut sunt, Homo & Deus, verè prædicabuntur de illo supposito. Hæc etiam ratio tandem resolvitur: quia ly homo, & ly Deus primariò important suppositum: nihilominus, dum argumentum procedit à paritate, ex formis accidentalibus, duxa ad naturam, minus pender ab illo principio dubio.

Quæres I:

AN hæc propositione, Deus est homo, sit ita propria, atque ista Petrus est homo?

Non esse æquè propriam, censet Durandus in z̄idum dist. 2. q. 2. esse autem æquè propriam decent: communiter alii. Lugo citatus num. 6. Amicus num. 11. *Pensanda sunt fundamenta partis negantis.*

1. FUNDAMENTUM est. Quia proprietas propositionis affirmativæ, pensanda est, ex identitate prædicati cum subjecto; sed major est identitas inter Petrum & hominem, quam inter Deum & hominem: Ergo magis propriè dicitur de Petro homo, quam de Dœo. Minor probatur: nam homo dicitur, in primo modo di-

cendi per se, de Petro, de Dœo autem non dicitur, cum possit esse Deus, qui sit homo.

RESPONDET 1. Lugo, negando Minorem, & dicit, utrobique esse æqualem identitatem, nulla enim propositio est vera, nisi omnimoda identitas sit inter rectum prædicati, & rectum subjecti: hujusmodi autem identitas, est omnino, inter prædicatum & subjectum, quando dicitur, Deus est homo: licet ratione obliqui, non conveniat ita necessariò, & per se, prædicatum subjecto, sicut in illa, Petrus est homo. Supponit autem ultius Lugo, quod ly Deus, positum pro subjecto, dicat in recto Personam divinam, quameriam in recto dicit homo: hinc quia utrobique respondet idem suppositum, fit, ut quæ propriè dicitur de Dœo ly homo, quam dicitur ly homo de Petro.

Coincidit hæc responsio cum Capreoli responsione, quam citat Amicus & impugnat; quia scilicet subjectum supponit materialiter, & prædicatum formaliter: igitur non potest in hac propositione Deus est homo, subjectum & prædicatum supponi pro eodem; sed subjectum pro supposito, prædicatum pro natura: alioquin, cum dicitur, Deus est homo: sensus est, Deus est Deus. *Hæc impugnatio*

NON SATISFACIT. Tum quia, si est universaliter verum, quod subjectum supponat pro materiali, & prædicatum pro formali, nulla est identica propositione: atque adeo hæc propositione, Deus est Deus, erit propositione formalis: quia ly Deus, aliter in subjecto, aliter in prædicato sumitur; neq; enim eodem modo jam prædicatum sumetur, ut sumitur subjectum; quod sufficit, ne sit propositione identica. Tum quia, quando dicunt Dialectici, quod subjectum supponat pro materiali, & prædicatum pro formali: non plū dicunt, quam quod, licet sit identitas inter prædicatum & subjectum, in modotamen significandi est diversitas: quia scilicet id, quod pro formali & explicito importat prædicatum, non nisi materialiter, & implicitè, dicit subjectum: & sic cum dico Animal est vivens: vivens non nisi materialiter est in animali, formaliter autem & explicitè, ponitur pro prædicato. Tum quia ex vi illius explicationis, quam tueruntur Lugo & Capreolus, non sequitur, dictæ propositionis hunc fore sensum: Deus est Deus; sed in hanc ultimò resolvetur. Suppositum terminans naturam divinam, terminat etiam naturam humanam. Dixi ultimò, quia immediatus resolvetur, quod Deus habeat naturam humanam unitam.

Nihilominus dicta Responsio

NON SATISFACIT. Tum quia non tantum punctum difficultatis; ex hoc enim ipso arguit Durandus, non esse æquè propriam utramque propositionem; quia scilicet non æquè necessariò, saltem ratione illius quod tu dicas obliquum, connectit prædicatum cum subjecto. Tum quia non

non negat Durandus, esse ibi identitatem inter subjectum & prædicatum: afferit enim veram esse hanc propositionem, Deus est homo: sed tantum negat, æquè esse propriam; quia non æquè primo connectit prædicatum subjecto.

R E S P O N D E T U R 2. Non distinguere Durandum, inter has duas propositiones: Prædicatum debet identificari subiecto, de quo prædicatur: & inter hanc; Prædicatum debet contineri in subiecto; licet continentia illius in subiecto, dicat etiam secum identitatem: hæc secunda est vera, fundaturq; in illo dicto. Id debet prædicari, quod inest: (supple subiecto) prima autem propositio, est falsa: quia aliæ falsa esset hæc propositio, Petrus est albus, nam albedo non identificatur Petro; quodsi sufficit ad veram prædicationem, ut prædicatum continetur in subiecto, quamvis non identificetur subiecto; sufficiet etiam, ad proprietatem, prædicatum contineri in subiecto: nihil enim magis est proprium, quam ipsum, & unumquodq; sibi; consequenter, si prædicabitur de subiecto, quod continet subiectum, prædicabitur propriæ: prædicabitur enim idem de subiecto, quod continet subiectum. Quia vero etiam in hac propositione, Deus est homo; id quod prædicatur, continetur in subiecto, sit, ut verè, consequenter propriæ, prædicetur. Prædicari autem in dicta propositione, id quod continet subiectum, explicatur tam in sententia dicente, ly Deus supponere principaliter pro persona, quam in ea quæ dicit, quod principaliter supponat pro natura: & in sententia quidem, quæ principaliter terminum *Deus* dicit supponere pro Persona, sensus hic erit: Suppositum terminans naturam divinam, terminat etiam naturam humanam; adeoq; in hoc sensu, prædicatum continebitur in subiecto; in sententia autem quæ pro principali in termino *Deus*, dicit importari naturam, sensus erit: Natura divina, quæ terminatur Personâ Verbi, unita est naturæ humanæ, terminata eadem Personâ; quo etiam in sensu, non prædicatur quidquam, quod non continetur in subiecto.

Addo hic: quod ii qui universaliter dicunt, ly Deus, principaliter supponere pro Persona, & non pro natura, non possint id universaliter assertere: nam vera est propositio, Deus generat; non tamen vera hæc, natura generat; verætiam est hæc propositio, Deus est unus: & tamen hic, ly Deus non supponit pro Persona principaliter; aliæ verum esset dicere, Persona est unam hinc, ut dicebam in corollariis Logicis, secundum diversas suppositiones, idem terminus nunc principaliter pro hoc, nunc pro illo supponit.

In forma respondendo ad argumentum, imprimis illud retorquetur; probabit enim, quod propriæ non possit dici de Petro; est albus, eâ

proprietate, quâ dicitur, est homo; deinde, ne-go absolutè majorem: quia ad prædicationem propriam, non plus requiritur, quam non prædicari figuratè; & prædicari secundum id quod continet subiectum; sive tanquam sibi identificatum, sive non; cum ergo non figuratè, Deus sit homo, habeaturque continentia prædicati in subiecto; ideo propriæ homo dicitur de VERBO.

2. FUNDAMENTUM ejusdem est. Petrus, per eandem naturam, est homo, per quam est Petrus, constitutusq; formaliter per naturam humanam; suppositum autem divinum, non constituitur natura humana, sed divinâ: Ergo nec ita propriæ prædicatur.

R E S P O N S U M jam, negando consequentiam: quia licet non sit æquè necessaria, est tamen æquè propria; non est autem æquè necessaria, quia non dicit æqualem identitatem; sed est æquè propria, quia importat id quod continetur in subiecto, & non secundum figuram.

3. FUNDAMENTUM est. Quia id quod prædicatur de aliquo propriæ, prædicatur in Quid: ly autem homo, non potest de Deo prædicari in Quid: nam si queras, quid sit Deus? non potest responderi, quod sit homo; sed prædicatur potius adjectivè, Deus est humanatus. Hoc argumentum cum suis Confirmationibus infra solvetur. *Quoad vim quæsti* attinet.

A S S E R O 1. *Esse questionem de voce.* Si enim intelligas nomine propriæ prædicationis, non nisi prædicationem prædicati identificati subiecto: in isto sensu non dicitur propriæ, Deus est homo: quia significatum termini *Homo*, cum involvat etiam naturam humanam, non identificatur realiter Deo.

A S S E R O 2. *Si nomine propriæ prædicationis, intelligas prædicatum, non figuratè contentum in subiecto, in isto sensu, propriæ est prædicatio, Deus est homo:* nam Deus non est figuratè homo.

A S S E R O 3. *Nomine propriæ prædicationis accipi debere prædicationem, in qua, de subiecto dicitur prædicatum, non figuratè contentum in subiecto;* & non debet accipi propria prædicatio, restricta non nisi ad prædicata identificata subiecto.

R A T I O est: Quia, cum albedo non identificetur Petro, figurata foret hæc prædicatio, Petrus est albus. Jam autem ut tercia Durandi objectio solvatur.

Quæs. II.

A N posse de Deo Ratio hominis adjectivè prædicari? v. g. dicendo Deus est humanatus, vel humanus?

Negat Vasq. Affirmat Suar. & Amicus n. 4. Pensanda argumeta utriusque partis.

*x

Pro

Appendix.

Pro parte negativa, quam tenet Vasquez.

1. ARGUMENTUM est, ab authoritate Concilii Francofordiensis, quod negat, Christum Dominum posse dici hominem Deificum, vel humanatum Deum.

RESPONDERI potest, quod ex hoc Concilio probetur tantum, Christum non posse dici hominem Deificum; sed non probatur, quod non possit dici, homo divinus; adeoq; sequitur, quod ratio Deitatis adjectivè prædicari possit de homine Christo. Cur autem possit dici homo divinus, & non homo deificus? pendet ab usu humano: eò quod dicendo, Christum esse hominem divinum, nullum detur fundamentum errandi; datur autem, appellando illum hominem deificum; quia appellando hominem divinum, non excluditur esse substantiale Dei; cum multis ratio divini tribuatur, quibus tribuitur ratio substantialis Deitatis; ut cum appello personam Patris, Personam divinam; ly autem, deificus, videtur excludere substantiali rationem Deitatis; eò quod usus eam non applicuerit istis, quibus substantialis Deitas convenit; neque enim dicitur Persona deifica.

2. ARGUMENTUM est. Quia quantumvis apud aliquos Patres reperiatur iste loquendi modus, *Christus est homo divinus*; eumque usurpet Augustinus lib. 83. Questionum; nihilominus damnat eum idem, lib. i. Retraet. cap. 19.

RESPONDERI potest. Clarè S. Thomas hic q. 19. a. 3. ad 2. fatetur, Christum appellari posse hominem divinum; cui, cum reliqui Patres faveant, ut ipse fatetur Vasq. non est cur ab hac locutine abhorreamus.

3. ARGUMENTUM ejusdem est. Quia ly Dominicus, introductum est ab Apollinaristis, ut significarent Christum mortis fuisse experitem: & Nestorius appellabat eum Deiferum, quod idem est, cum divino, aut dominico.

RESPONDERI potest, conformiter ad dicta immediate; quod quamvis non possit dici Christus, homo dominicus, eò quod hic modus loquendi significet, quod non sit Dominus, sed Domini; quantumvis item non possit dici Deifer, eò quod deifer implicitè neget Deum, sed tantum infert aliquid, quod fert Deum; non sequitur tamen, quod non possit dici divinus; eò quod id non excludat esse substantiale Dei, & applicetur iis, cum quibus esse Dei substantialiter convenit.

4. ARGUMENTUM est ei commune cum Durando. Quia scilicet nomina denominativa, formata à forma substantiali, indicant negationem identitatis, unius substantialis cum alio, si prædicentur de subjecto; hinc Petrus non potest dici humanus, sed homo, ergo etiam de Christo non potest dici, quod sit divinus aut dominicus, cum propriè dicatur Deus.

RESPONDERI potest. Antecedens universiter esse falsum: quia probaret de VERBO non posse dici, quod sit Persona divina: namly divinum est derivatum à Deitate, quasi forma substantiali, & per se denominativa; adeoque, per oppositos, importabit negationem identitatis formæ cum subjecto, de quo prædicatur; cum tamē Verbum dicat identitatem cum Deitate. Verum ergo est antecedens, sed non nisi in aliquibus casibus.

Pro parte affirmativa, nempe quod possit dici Christus homo divinus, & Deus humanatus, pro ratione potissima afferri solet, quod scilicet ita non raro loquantur Patres. Sed responderet Vasq. Deum dici humanum vel humanatum, sicut incarnatum; deducendo scilicet à verbo, *homo*: ut idem significet, quod homo factus.

ASSERO 1. Ly divinum propriissime de VERBO. Nam usus obtinuit, (qui est Magister verborum) dicere, Verbum, Personam divinam, suppositum divinum.

ASSERO 2. Ly divinum possè bene applicari, ad ly homo, dicendo illum esse hominem divinum.

RATIO: Tum quia ita Patres loquuntur. Tum quia ly divinus, ut dixi, potest applicari ea, quibus substantialiter esse Deum convenit: Ergo multò magis ad hominem, cui non nisi ratione unionis esse Dei convenit. Tum quia, ut advertit Lugo, ly divinus, videtur, esse sicut ly substantialis, nam sicut ly substantialis, videtur id significare, quod est substantialia, & nihilominus non dicitur de accidentibus, quae sunt substantialia; dicitur tamen de anima, & de compósito quod sint substantialia: sic & terminus divinus. Neque obstat, quod non possit de Deo dici, quod sit divinus: quia etiam de substantiali non dicitur, quod sit substantialis; & tamen dicitur de iis, quae essentialiter sunt substantialia: ita ergo & in praesenti.

ASSERO 3. Possè bene dici Deum humanum.

RATIO: quia ly humanum dicitur etiam de iis, quibus competit substantialiter esse hominem, ut cum dicitur, corpus & anima humana. Inde tamen non sequitur, quod possit dici Christus, homo dominicus: quia ly dominicus, non solet applicari unquam ei, quod substantialiter est dominus; sed non nisi ei, quod est domini: Christus autem non est domini: consequenter, nec debet dici, homo Dei, vel Deus hominis; quia illa prior locutio nullo modo aptaretur istis, quae involuntipsum esse Dei; ly etiam Deus hominis, non aptatur unquam ei, quod importat ipsam in se substantiali hominis; ad eum modum, quo, cum dico, dominus bruti, non importo brutum, in eo, cui competit esse dominum bruti. Quanquam est reperire in Patribus, quod appelletur Christus: Homo dominicus.

Quæ-

Appendix.

243

Quæres III.

Any Homo, dictum de Deo Christo, & aliis hominibus, sit prædicatum univocum, annon?

ASSERO 1. In sententia, que ly homo, dicit importare principaliter naturam, ly homo, dictum de Christo, & aliis hominibus, est prædicatum univocum.

RATIO. Quia eadem naturam humanam univocè omnes habent, & eadem de illis prædicatur: consequenter univocè prædicatur de Christo.

ASSERO 2. In sententia, que ly homo dicit importare principaliter personam, si ly homo dicatur de Christo, est terminus univocus ad Christum & ad alios homines. Rationes dat Lugo: quia si unitas numerica naturæ divinæ facit, quod pluralsupposita illius sint unus Deus, quantumvis ly Deus supponat principaliter pro persona; cur etiam unitas specifica naturæ humanæ, in Christo, & in aliis hominibus, non faciet, quod Christus, & alii homines, sint unus specie homo, non obstante multiplicitate specificâ suppositorum.

ASSERO 3. Ly Homo, dictum de Deo & de hominibus est prædicatum univocum, si nomine univoci accipias prædicatum retinens eandem significationem. Non est autem univocum: si nomine univoci, accipias prædicatum essentialiter convenientis subiecto; non enim est essentialis Deo, esse hominem.

Quæres IV.

Andicte Propositiones sint per se, an per accidentem? Revocandum est hic in memoriam, quatuor esse modos dicendi per se. **1mus** per se in predicando; cum prædicatur de subiecto definitio, vel pars definitiva, ut cum dico. Animal est vivens: est prædictio primò per se; quia vivens definit animal. Si autem dicam, animal est rationale: non est primò per se; quia non definit animal, rationale. **2dus modus** est per se inhærendi; quando prædicatur accidens, necessariò quidem, sed non essentialiter connexum; ut homo est quantus. **3tius modus** est, per se existendi, quā ratione substantia dicitur Ens per se. **4tius modus** est per se in causando, quā ratione, effectus prædicatur de suis causis, qui bus non nisi quā talibus, & ratione sui, convenit causare talen effectum: & sic ædificator ædificat, & non musicus.

ASSERO 1. Dictas Propositiones, non esse in primo modo dicendi per se.

RATIO: quia quæ ita prædicantur, debent pro subiecto importare, aut definitionem, aut partem definitionis; sed nec homo respectu Dei, nec Deus respectu hominis, est pars definitionis, aut definitio: Ergo.

ASSERO 2. Non tantum absolute loquendo, sed etiam in suppositione facta unionis, homo de Deo, & Deus de homine, non dicuntur in primo modo dicendi per se.

RATIO: Quia tunc, ex suppositione, prædicatum alicujus accidentale, dici potest in primo modo dicendi per se; quando forma alias accidentalis, in modo tamen significandi, importat illud ipsum subiectum: ut cum dico, Homo currens movetur: ubi, ly motus, qui est forma quæ prædicatur, continetur in subiecto, hoc est cursu; subiectumq; ex modo significandi, importat formam prædicati. Sed in hac prædicatione, Deus est homo: ly Deus, non importat hominem ex modo significandi; sed nonnisi importat naturam divinam, & suppositum ejus. Ergo. Ceterum hæc prædicatione: Deus, prout terminat naturam humanam, est homo: erit prædicatione in primo modo dicendi per se, ex suppositione; quia ex modo significandi, à subiecto importabitur prædicatum.

ASSERO 3. Dictas propositiones, revocari ad predicationes, inquit.

RATIO: est: quia in modo significandi in quid, prædicatum enuntiatur substantivè; jam autem, cum dico, Deus est homo: Ly homo, prædicatur etiam substantivè; & sicut ista propositione, Deus est omnipotens, ex modo significandi est accidentalis, re ipsa autem substantialis, & quidditativa; sic dicta propositione, re ipsa erit accidentalis, quamvis ex modo significandi sit substantialis.

Pro Asserto 1mo affert aliam rationem Durandus: quia scil. in his, quæ dicuntur in primo modo dicendi per se, vera esse solet propositione, si ly in quantum, subiecto applicetur, v.g. homo in quantum homo est rationalis; falsa autem hæc, Deus in quantum Deus est homo.

Sed contra hanc probationem opponitur instantia: nam hæc propositione: *hic Deus generat*, est vera, & est per se, & si non esset talis, vera esset hæc contradictoria: *hic Deus non generat*: & tamen in sensu reduplicativo est falsa, *hic Deus, in quantum Deus, generat*; alioquin & filius generaret, si Pater in quantum Deus generaret.

R E S P O N D E T ad difficultatem Lugo num. 44. Hic Deus generat, non esse, in rigore propositionem per se: quia imitatur modum prædicationis inferioris de superiori: quatenus suppositum divinum, videtur esse aliquid commune, ad suppositum Patris; neque inde sequitur, contradictionem illius posse esse veram; nam hæc propositione, *Animal est rationale*, non est per se, & tamen falsa est illius contradictione, *Nulum animal est rationale*. Et quia ly Deus, quando ponitur indefinite, additâ negatione, reddit sensum universalem, juxta communem loquendi modum; non possumus dicere, *hic Deus non generat*: nam hoc est dicere, non contineri, sub

*x 2 ratio-

Appendix.

ratione communi suppositi divini, ullum suppositum quod generet.

Hec Lugonis responso non satisfacit. Tum quia, si ideo non est illa prædictio *per se*, in rigore Aristotelico, quia tales propositiones & materias non agnoscit Aristoteles; etiam illa prior non erit in hoc sensu *per se*; quia etiam illam non agnoscit Aristoteles: quodsi non est *per se*, ideo quia particula de universalis dicitur; id etiam non concludit; quia particula de universalis restrictione accepto, bene potest dici *per se*, cùm dico: *Hic homo est Petrus.* Tum quia, quod hujus propositionis, *Animal est rationale*, contradictoria non sit vera, ad id impertinenter se habet; nam cujuslibet propositionis contradictione, non potest esse vera, si prior fuit vera. Tum quia concedo hanc propositionem, *Hic Deus, in quantum Deus, generat, falsum esse*; quia importatur etiam filium generare: nihilominus haec, *hic Deus, in quantum hic Deus, generat, est vera*: supponit enim, cum hac restrictione, pro Patre, qui generat; & eam defacto concedit S. Thomas & Vasq. apud Lugo ibidem.

Quæres V.

AN*ti*ha*c* propositione, *Deus est homo, Deus supponat indefinitè pro supposito, an verò determinate pro sola Persona Verbi?*

ASSERO 1. *Ly Deus, supponere indeterminate.*

RATIO: quia nihil est, quod ex parte subjecti, determinationem significet.

ASSERO 2. *Ly Deus, in dicta propositione verificari nonnisi determinatè, nempe de Verbo.*

RATIO: quia quando dico, *homo currit, ly homo*, supponitur indeterminate, nam de pluribus explicari potest: verificatur tamen nonnisi determinatè; ergo etiam & hīc idem est.

ASSERO 3. *Casū, quo non teneat doctrina dialectica, pro alio terminum posse supponere, pro alio verificari: simpliciter cum Suarez sentiendum est, ly Deus supponere hīc nonnisi determinatè, afferendumque sufficientem esse determinationem ortam ab ipso prædicato.*

Quæres VI.

ANC*hristus possit dici creatura?*

ASSERO 1. *Si ad ly Chriſtus, addatur partculare restrictiva, in qua rūm homo, vera est dicta propositio.* Aliás si non sit vera, contradictionia illius deberet esse vera; & tamen non potest esse vera: quia alias sequeretur, hominem, in quantum hominem, non esse creaturam.

ASSERO 2. *Etiam sine addito posse dici, Christum Creaturam.*

RATIO: Tum quia ita loquuntur Patres, Cyrillus, Alexandr. lib. 10. Thesauri cap. 4. Cū ipse, inquit, naturā increatus sit, & omnium dominus, atque creator, creatura etiam factus. Tum quia ab æterno verum erat dicere, Deus potest fieri creatura; ergo etiam potest dici, est creatura. Tum quia, ut ait Arius, quod potest substantivè dicere natura humana, potest dici per communicationem idiomatum de Deo, substantialiter autem dici potest, de natura humana, quod sit creatura.

ASSERO 3. *Non expedire, sine addito, dici Christum Creaturam.*

RATIO: quia ita S. Thomas q. 16. a. 8. Et quia cavenda sunt locutiones communes cum Arrianis, qui creaturam Christum appellabant, ut Deum negarent.

Quæres VII.

AN*pos*s*it* dici: *Homo, factus est Deus, Deus, factus est homo?*

ASSERO 1. *Verè dici: Deus, factus est homo.*

RATIO: asserti præcipua, sunt phrases Patrum, & imprimis Evangelii; in quo dicitur: *VERBVM Caro factum;* & in Symbolo: *Et homo factus est.* S. Bonaventura dicit, non esse propriè factum hominem, quia id requirit mutationem. Sed Incarnationis mysterio principali, improprietatem sermonis immerito affingit: neque inde sequitur Deum mutari, ob dicta alias.

DICES. Si vera est dicta propositio, verum etiam erit dicere: *VERBVM factum est Deus*; idque propter talēm expositorum: *Hic homo est Deus;* *VERBUM factum est hic homo;* Ergo *VERBUM factum est Deus.*

RESPONSIO: est communis huic argumento, negando consequentiam. Variant autem Autores in assignando vitio. Lugo dicit esse plures quam tres terminos. Vasquez autem esse fallaciam accidentis. Sed stat cum hoc, ut sit ille syllogismus plurium terminorum, quos numerat Lugo; in Majori, homo Deus, in Minor, Verbum est factum homo, in conclusione *Ly factus applicatur ad ly Deus.* Consule Lugo. Quærietiam posset, an *ly factum*, in Minor, construatur cum *ly Verbum*, an cum *ly Homo*? adeoque an se teneat à parte subjecti, an à parte prædicati? si à parte subjecti, falsa erit Minor; quia supponit Verbum esse factum, & tamen pronuntiat Nicenū, Genitū non factum; nec erit mirum, si ex falsa minori, sequatur falsa conclusio; si autem *ly factum*, tenet se à parte prædicati, seu à parte *ly Deus*, faciet, ut con-

junctio

Appendix.

245

jungatur in conclusione, cum eo termino, cum quo non coniungebatur in præmissis. Rursus. Sily hic homo explicatiū ponatur, colligitur, aut minorem esse fallam, aut aliter sumi ly homo in Majori, aliter in Minorī.

Major restat difficultas, an possit dici, *homo factus est Deus?* Negat S. Thomas. Affirmat Scotus. Multa hic circa textum S. Thomæ Suar. Vasq. Lugo, legantur.

Pensanda sunt argumenta utriusq; sententia, Ne-
gantis imprimis

1. ARGUMENTUM, authoritates Patrum.

1. AUTHORITAS est, quā utitur Lugo, Eliæ Cretensis, Nazianzeni, &c. qui docent, non debere dici, hominem Deitate affectum esse, sed Deum humanitatem assumpisse.

RESPONDERI potest, aliam hanc esse propositionem: *homo factus est Deus;* & aliam hanc: *homo Divinitate affectus;* hæc proposi-
tio est falsa; quia non significat substantialem unionem naturæ humanæ, ea enim quibus dicitur quis affectus non uniuntur propriè substancialiter.

2. AUTHORITAS Petri Diaconi lib. de In-
carnatione & gratia c. 5. *Deus, inquit, factus est*
homo, non autem Christus factus est Deus.

RESPONDERI potest: aliam esse hanc propositionem: *homo factus est Deus;* & aliam hanc, *Christus factus est Deus;* quia ly Christus, jam significat totum constitutum ex naturis duabus, & personalitate divina, de quo falso est, quod factus sit Deus, sed est Deus: homo autem, ex omnino, non hoc significat: supponitque, ut ait aliqui, indeterminatè, verificatur determinatè; & ratione illius suppositionis indeter-
minata, habet ius, ut possit dici, factus, Deus.

3. AUTHORITAS Cyrilli Alexandr. libro aduersus Antropomorphitas: cap. 22. *Neque enim homo, ut quidam volunt, Deus est effectus unitus VERBO, sed VERBUM ipsum carne assumptum, homo factum manxit.*

RESPONDERI potest: in sensu particulari, quem illo loco supponit Cyrillus, non verifica-
ti propositionem: negatque quod natura hu-
mana transierit in divinam, sed non negat in sensu, quem oppositi intendunt.

Denique hæc omnia solvuntur, concedendo aliquos Patres ita loqui, sed simul esse alios, qui opposito loquuntur modo.

2. ARGUMENTUM est ratio, quā utitur Hur-
tadus. Quia per illam propositionem, *Homo fa-
ctus est Deus,* significatur, Deum ut sic, esse ter-
minus illius effectionis.

RESPONDETUR. Negando assumptum: nam terminus immediatus erit unio, mediatus au-
tem erit totum illud constitutum ex duabus na-
turis, & persona: sicut etiam cùm dico, *Deus
factus est homo;* ly homo non est terminus effec-
tionis: sed unio, & totum constitutum.

3. ARGUMENTUM est ratio, quā utitur Vasq.
& Amicus: Quia quantumvis, ad hoc, ut dicatur aliquid simpliciter fieri, non sit necesse, ut antecedat tempore vel naturâ sui produc-
tionem: id tamen quod fieri dicitur tale, debet saltem naturâ antecedere; & sic cùm dicimus, Paries factus est albus: supponit paries præ-
cessisse albedinem. Cùm ergo natura humana non præcesserit Personam divinam, non potest dici, homo factus Deus.

RESPONDETUR. Esse factum, quantum-
vis interdum non applicetur, nisi ad illa signifi-
canda, quæ præcessisse saltem naturâ debuer-
unt; id tamen universaliter non est verum:
nam dicitur homo factus esse in imaginem &
similitudinem Dei, non tamen esse hominis,
præcessit factum esse in imaginem & similitu-
dinem Dei. Angelus etiam dicitur immortalis
factus à Deo, &c. similia.

Sed jam ad argumenta Partis affirmantis venien-
dum est.

1. ARGUMENTUM est, Authoritates Patrum italoquentium. Augustin. variis in locis. lib. I.
de Trin. cap. 13. *Talis enim erat illa sumptio que*
Deum hominem fecerat, & hominem Deum. Da-
masc. lib. 3. de Fide. cap. II. *Eodem, inquit, mo-
do illud quoq; dictum est, quod Deus homo factus sit,
& homo Deus.*

RESPONDETUR communiter, in sensu im-
propriō hæc esse accipienda, & prout enuntian-
tur de toto complexo.

2. ARGUMENTUM est. Quod scil. sola rati-
o hominis existens in aliis præcesserit, cui rea-
liter præcedenti & præexistenti, advenit fieri Deum.

RESPONDERI potest, hanc esse impropriissimam locutionem: nam si tempore prius crea-
ta fuissent alia animalia, ante hominem, non posset propriè dici, animal factum est homo; sic nec id propriè dicetur. His pensatis

ASSERO 2. Bene posse dici, hominem factum
Deum.

RATIO asserti est. Tum quia Augustinus citatus, indifferenter loquitur, de Deo facto homine, ac de homine facto Deo: Ergo si illud propriè intelligitur, hoc etiam propriè intellici-
getur. Tum quia falso est, quod aliquid non possit dici fieri tale, nisi præcedat saltem naturâ, ut dixi supra. Tum quia etiam talis præces-
sio concedi potest. Et certè cùm utraque pars locutionis suos Autores habeat, nec ulla spe-
cialis urgeat ratio, æquè utrumque dici po-
terit.

DICES cum Lugo. Quando dicitur, *Homo
factus est in animam viventem,* id de eo dictum
est, qui jam aliquo modo positus fuerat homo
præexistens; præcesserat enim jam, quod for-
mavit Deus hominem de limo terre, ubi hominem
appellavit corpus hominis, quod formaverat

*x 3 Deus.

Appendix.

Deus. Sed hoc videtur arbitarium; nam quando dicit Scriptura, quod formaverit hominem; non intellexit, quod limus formatum, simpliciter fuerit homo, ratione illius formationis: sed propter additum: *Et inspiravit in faciem ejus spiritum suum*; & de hoc toto dicitur, quod sit factus homo in animam viventem.

A S S E R O 3. *Si præcessisset natura humana, cum proprias substantialia, & successisset divina, tunc dicere-etur ille homo factus Deus;* jam enim præcessisset natura humana, quod oppositi requirunt, ad hoc, ut dicatur tale aliquid factum esse.

R A T I O ulterior est, quia, in sententia Vasq. quæ principaliter, à termino *homo*, dicit importari naturam humanam, præcessisset natura humana, quæ eadem tunc maneret; in sententia autem, quæ dicit à ly *Homo* principaliter importari personam, præcessisset persona humana, & remanens humana natura, haberet aliquod prædicatum, quod ante non habuit; esset namque terminata persona divinæ, à qua antea non terminabatur. Nec obest, quod tunc non maneat Persona humana, quia licet liquidum dicitur factum esse calidum, quantumvis non maneat liquidum; ita potest dici, homo factus esse Deus, quamvis non maneat Persona humana; ita ut sensus sit, illud quod fuit homo, & terminatum personâ hominis, factum est Deus, & terminatum Personâ divinæ.

Quæres VIII.

An posse duci, Christus est humanitas & Divinitas? Discutiunt id Lugo ad disp. 10. Appendix speciali; & Suar. disp. 35. Sect. 2. §. Solet vero.

A S S E R O 1. *Ly Christus accipiendo pro perso- na & supposito, falsam esse dictam propositionem.*

R A T I O: quia falsum est dicere; Persona divina est natura humana: Ergo falsum erit dicere, Christum esse divinitatem & humanitatem.

A S S E R O 2. *Accipiendo Christum, pro toto, constante ex persona & duabus naturis, adhuc fore falsam propositionem.*

R A T I O: quia dicere de tribus, quod sint duo, est falsa propositione; sed dicere de Christo, quod sit humanitas & Divinitas, est dicere de tribus quod sint duo. Quod ipsum probatur: quia præter duas naturas Christus dicit insuper Personam.

A S S E R O 3. *Accipiendo Christum prototo ex naturis constituto, vera est ista propositione.*

R A T I O 1. Asserti est authoritas Damasceni. Nam & due, inquit, naturæ unus Christus est, & unus Christus due naturæ: ad quod etiam attendit idem Damascenus lib. 4. cap. 7. Quod, qui ex Sancta Dei parente genitus, due naturæ est, fatemur. Ubi vides affirmationem illam Divinitatis &

humanitatis, semper referri ad totum constitu- tum ex naturis: vide plures authoritates apud Suar.

D I C E S 1. Damnatas esse propositiones has, asserentes, due naturæ, divinitas & humanitas, sunt unus Christus.

R E S P O N D E T U R. Damnatas esse has pro- positiones, quia divisim etiam asserbant, unam naturam esse Christum, ut videre est apud Val- densem cap. 42.

D I C E S 2. Verus esset iste syllogismus, ab- surdam conclusionem inferens. Divinitas non est humanitas & divinitas; Christus est divini- tas & humanitas: Ergo Christus non est divi-

R E S P O N D E T Suar. retorquendo argumen- tum. Divinitas non est persona composita, Christus est persona composita, ergo Christus non est divinitas. Sed hæc responsio non con- vincit, vidimus enim Christum non esse Per- sonam hoc seculu compositam. In forma ergo re- spondeo, ostendendo vitium formæ, quia divi- nitas in Majori sumitur secundum se, in Minor autem non sumitur secundum se: ex sumptione ergo termini, in alia & alia suppositione, qua- ternitas oritur terminorum.

D I C E S 3. De concreto substantiali, non possunt dici nomina abstracta: & ita non potest dici, homo est caro & anima rationalis: nam caro & anima rationalis, sunt humanitas, non homo: Ergo neque potest dici, Christus est due naturæ, divina & humana: sed supposi- tio naturas duas habens.

R E S P O N D E T U R. Hoc argumentum non plus probat, quam accipiendo Christum pro- toto, in quo includatur etiam persona, non posse illam prædicationem fieri: quod non nega- mus: neque ex nostro asserto tertio sequitur, divinitatem & humanitatem esse passas, & crucifixas: quia hæc dicuntur de Christo, prout supponit pro persona: licet non sit passus, pro- ut persona; non dicuntur autem de Christo, prout est constitutum ex duabus naturis: nam licet secundum naturam humanam sit passus, tamen hoc totum tribuebatur supposito, & non naturæ divinæ.

Quæres IX.

Quid sit sensendum de propositionibus inferen- tibus prædicta naturæ humana, & prædicta nature divinæ? v. g. hic Deus est mortalis; hic homo est immortalis.

A S S E R O 1. Proprietates naturæ divina, Chri- sto in quantum est homo, non convenire: & è con- verso.

R A T I O. Quia reduplicatio importat ratio- nem, propter quam formaliter, illud prædicatum convenit. Sed esse v. g. immortalem, non convenit ex ratione hominis, & in quantum homo

homo est: Ergo illud prædicatum, reduplicative acceptum, non potest prædicari.

DICES. Concilium Francofondense admittit hanc propositionem: Christus, etiam ut homo, est filius Dei naturalis: Ergo falsum assertum.

RESPONDETUR. Quando dicitur, etiam ut homo est filius Dei naturalis, accipitur *ly etiam ut homo*, cum inclusione Personæ divinæ, cui competit esse filium Dei, assertum autem procedit, cum reduplicatur sola natura v.g. humana, non importando Personam divinam.

ADDIT Amicus, diversas has esse propositiones, Christus etiam ut homo est Deus, & istam, Christus ut homo est Deus. Prior est vera, posterior falsa: Rationem dat: quia prior formaliter non distinguit hominem à Deo: sed solum addit, quod etiam ut subsistens in humanitate, est Deus; posterior autem distinguit hominem à Deo: si distinguit, non poterit esse vera, quia prædicatur de subjecto id, pro quo subjectum, vi reduplicationis, non supponit.

ASSERO 2. *Proprietates naturæ divine, concrete, posse dici de concreto naturæ humanae, v.g. hic homo est immortalis, hic Deus est mortalis, &c. similia.*

RATIO. Quia de quo prædicatur concretum naturæ, de eo potest prædicari illud, quod prædicatur de tali concreto naturæ: Ergo, si concretum divinæ naturæ, de concreto naturæ humanae, & è converso, dicuntur, etiam proprietates dicentur. Addo, cum addito *Hic*, ipsæ proprietates inter se concretè prædicari posse, dicendo, e. c. *Hic mortalis est immortalis.* Ratio: quia *ly Hic*, supponit pro supposito, de quo ista verificari possunt.

DICES. De concreto divinæ naturæ, prædicantur personæ & proprietates notionales, & tamen illæ non possunt prædicari de Christo.

RESPONDETUR. Id non obesse dicto asserto. Quia *ly* Deus dicitur de natura humana, non in tota latitudine, sed prout supponitur pro persona Filii; quod si *ly* Deus, non nisi cum hac restrictione, dicitur; etiam proprietates istius termini *ly* Deus, non nisi cum hac restrictione denatura humana dicentur; & quia de Deo, ita restrictè accepto, non dicitur Pater & Spiritus Sanctus: nec de Christo dici poterit.

ASSERO 3. *Cafū, quo proprietates contrarie de Christo prædicens, v.g. est mortalis, est immortala, utramq; esse veram, non tamen si contradictrio sumantur.*

RATIO prioris partis est, quia illæ propositiones contrariae, sunt affirmativa, & non nisi ex modo significandi negativa. Si sunt affirmativa, verificari possunt, etiamsi non nisi unum parti convenient.

RATIO autem 2dae partis asserti est: quia contradictoria semper negationem important, quæ est malignantis naturæ, adeoque ne-

gat totum, & quoad omnes partes: hinc si dicas, Christus est mortal, Christus non est mortal: prior erit vera, est enim affirmativa; cuius verificatio salvatur etiam ratione unius partis. Secunda autem est falsa: quia totum negat, adeoque negat, Christum etiam secundum naturam divinam, adeoque suam personam, immortalem esse. Unde advertit Amicus num. 48. hanc propositionem, *Christus non est aequalis Patri*, esse falsam; est enim negativa, adeoque negat de toto, quod est Christus, æqualitatem cum Patre. Hæc autem proposition, *Christus est minor Patre*, est vera quia est affirmativa, quam sufficit verificari ratione unius extremi, hoc est, naturæ humanæ. Ceterum ista, *Christus est inæqualis Deo*, est falsa: quia quamvis, ex modo significandi, sit affirmativa, in re est negativa, negat enim æqualitatem.

Quæres X.

Quid sit sentendum de predicationis abstractis: an de alio extremo concretè sumpto, vel etiam abstractè, prædicari possint?

ASSERO I. *Abstractum divine naturæ, de abstracto humanae naturæ, & è converso, dici non posse.* v.g. Divinitas est humanitas.

RATIO: quia apertè est falsa proposition; enunciatur enim identitas inter illa, quæ non sunt idem; nec divinitas continet in se humanitatem, vel è converso.

DICES 1. Possum dicere, Deus est homo, ergo etiam possum dicere, Deitas est humanitas, & è converso.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia in priori est sufficiens identitas, in qua convenient, nempe in persona cædem: nulla autem est identitas in alio tertio, si dicatur divinitas est humanitas: continetque *Homo* Personam divinam, cum sumatur pro supposito; Deitas autem non continet humanitatem.

DICES 2. Vera est hæc proposition, natura divina est incarnata: Ergo etiam vera est hæc, Divinitas est humanitas.

RESPONDETUR negando Consequentiam. Quia in priori non prædicatur identitas ulla, quæ non sit, sed solum modus unionis cum natura humana: in posteriori autem prædicatur identitas, naturæ divinæ, & humanae, quæ nulla est.

DICES 3. Verus est hic expositarius. VERBUM est Persona: VERBUM est Deitas: Ergo Deitas est Persona.

RESPONDETUR. Negando esse verum. Quia Deitas aliter sumitur in minori, aliter in Conclusione; in conclusione enim sumitur pro Deitate secundum sc: in minoria autem pro restricta ratione.

Appendix.

Proponit h̄c difficultatem Amicus, *An possit dici, natura Patris est incarnata?* Circa quam difficultatem distinguendæ sunt propositiones. *Natura, prout est Patris, est incarnata:* h̄c falsa est; quia accipitur reduplicativè: quasi ideo sit incarnata, quia est Patris, quod falsum est *z dō natura, quae est in Patre, est incarnata*, & h̄c est vera; sicut & h̄c *Natura divina est incarnata*.

A S S E R O 2. *De natura humana abstractè accepta, non possunt predicari concreta natura divina:* v.g. *Natura humana est immortalis, natura humana est Deus, &c. similia.*

R A T I O : quia prædicatio illa debet esse vera: vera autem non potest esse: quia nec identificatur humanitati, nec in illa includitur, prædicatum quod est Deus. Consequenter nec potest dici, Deitas est mortalis, passibilis: quia humanitas in Deitate nec continetur, nec illi identificatur; nec item dici potest: Deitas est homo; quia ly *Deitas*, non importat suppositum & naturam humanam; quod tamen dicit *Homo*.

A S S E R O 3. *Si ad concretum natura divina, aut humana, addatur particula Hic, potest aliud concretum, predicari in abstracto, de alio;* v.g. *Hic homo est Deitas.*

R A T I O : quia eo casu, prædicatum in subiecto continebitur. Subiectum enim importat etiam personam divinam, identificatam realiter cum Deitate. Et è converso, non video ut dici non possit, h̄c Deitas est homo; quia etiam *Hec Deitas* supponit pro Persona; hanc autem importat ly *homo*. Advertit tamen bene Amicus, has propositiones non esse formales, & proprias; quia Deitas non includitur, proprie & formaliter, in hoc subiecto, *hic homo*

Quæres XI.

An possit dici de Christo, Incepit?

A S S E R O 1. *Cum addito, quod incipiat secundum humanitatem, dici id potest:* quia verè, ex non existentibus, in existentem transit, secundum humanitatem.

Tota difficultas est, an possit dici sine addito? Affirmat Scotus, negat S. Thomas, Suar. Amicus.

Pensanda sunt Argumenta Negantum.

I. ARGUMENTUM proponit Amicus. *Incepit & definit*, absolutè cadit supra principale esse subiecti; principale autem *Esse*, hujus subiecti *Christus*, vel *hic homo*, est *Esse* suppositi divini: Ergo, Major probatur. Non recte dicitur. Paries fit aut incipit, ex eo tantum, quod fit aut incipit, esse albus.

R E S P O N D E R I potest, falsum esse, quod in-

cipit aut definit cadant supra principale esse subiecti; hoc est partem, quam principaliter importat subiectum; licet cadant supra principale esse, hoc est, esse simpliciter subiecti: principale autem esse subiecti hujus, quod est Christus, si sumatur, secundum esse absolute & simpliciter dictum, est ipsum substantiale totum, ex naturis duabus, & persona constitutum; de quo toto absolutè accepto, dici potest: *Incepit*; hoc enim substantiale esse hominis, quod habet Christus, defacto in tempore accepit. Et sicut potest dici, homo est genitus, quamvis partes ejus principales non generentur: quia generatur totum, quod absolutè & simpliciter dicitur tale; ita potest dici, Christus incepisse: quia incepit illud totum, quod est tale simpliciter & absolute.

2. ARGUMENTUM est. *De Christo dicitur absolute, quod sit æternus:* Ergo non potest dici de illo simpliciter, quod incipiat esse; nam contradictoria sunt, incipere esse, non incipere esse; si autem dicatur de Christo, quod sit æternus, hoc ipso dicitur, quod non incipiat esse.

R E S P O N D E R I supra, quod de Christo dici possit, quod sit æternus; non tamen potest dici, quod non sit æternus. Et quamvis, ex ly æternus, inferatur, non incipit esse; tamen ex eo, quod verum sit dicere, est æternus, fallò dicitur, non incipit esse. Nam, ut dictum supra, ly *æternus*, est prædicatum affirmativum, ad quod verificandū, sufficit nonnulli aliquid in subiecto contentum. *Non incipit autem esse*, est negativum, negans quidquam in illo esse, quod incepit; cùm tamen incepit esse humanum. Jam autem illud, *incipit esse, non incipit esse*, non sunt contradictoria, de Christo; quia vera contradictoria de eodem, & ratione ejusdem, debent procedere. *Incipit autem, & non incipit*, de eodem quidem supposito, sed non ratione ejusdem dicentur.

In oppositum

I. ARGUMENTUM est Pontii. *Incipere esse, rigorosè, non plus significat, quam quod res incipiat, secundum esse simpliciter ipsius:* hoc est, secundum esse aliquod substantiale, quod dicitur simpliciter: sive illud esse, si esse primum substantiale ipsius, sive non. Sed Christus incipit esse, secundum esse hominis, quod est esse substantiale, & simpliciter dicitur de ipso: Ergo potest dici de ipso, quod incepit esse absolute, absque addito.

R E S P O N D E R I potest, conformiter ad rationem supra ab Amico allatam, negando maiorem; quam non probat ulterius Pontius; diciq; potest, ad hanc denominationem, quæ semper fit à principaliori, necesse esse incepisse principale; quod in Christo est Persona, secundum quam non incepit.

2. AR-

Appendix.

249

2. ARGUMENTUM. Si non posset dici de Christo, Incepisse, non posset ideo dici, quia de notaretur, Christum incepisse quoad personalitatem vel divinitatem. Sed hoc non denotaretur: quod probatur. Quia Christus dicit aliud, quam suppositalitatem vel divinitatem, semper naturam humanam.

RESPONDERI potest, dicere quidem naturam humanam; sed ly Christus non dicit principaliter naturam humanam, sed personam divinam; quæ cùm non incepit, non potest dici, Christum absolute incepisse.

INSTAT. Quando dicitur, Christus est genitus in tempore, non intelligitur de persona divina: ergo & quando dicitur incepisse.

RESPONDET isti paritati Amicus, ostendendo disparitatem, quia scilicet, ly incipit, vel definit, cadit supra ipsum esse subjecti; hinc sine addito prolatum, cadit immediatè supra ipsum principale esse subjecti, scilicet suppositi. Sed generari, pati, mori, &c. non cadit supra ipsum suppositum; sed illud supponitur ad tales actiones, vel passiones, idque tanquam principium complens, tam productivum, quam receptivum esse.

3. ARGUMENTUM est. Varii modi urgendi dialectici.

I. Est. Hic homo est Deus. Verbum factum est hic homo. Ergo Verbum factum est hic Deus.

RESPONDETUR. Hunc syllogismum contine 4. terminos. Quia ly hic homo in Majori accipitur pro persona, secundum enim personam hic homo est Deus. Secundus terminus est Deus. Tertius terminus Verbum. Quar-tus ly hic homo in Minoris, suppositus pro natura humana conjuncta.

II. SYLLOGISMUS est. Hic Homo est Deus; Verbum incepit esse hic homo; ergo Verbum incepit esse Deus.

RESPONDERI potest negando, Syllogismum esse legitimum, habet enim 4. terminos. Quia in Minoris incipit esse, construitur cum ly Verbum, & in Conclusione construitur cum ly esse Deus. Deinde habet 4. terminos: quia in majori ly hic homo, supponit pro persona, in Minoris pro Natura humana, cui unitum Verbum. Et certè non potest dici, quod Verbum factum sit hic homo, hoc est, persona divina; unde necessariò aliter & aliter supponitur hic, ly homo. Huc etiam illa retorsio servit. Hic Consul est homo, Petrus est factus hic Consul, ergo Petrus factus est hic homo.

III. MODUS est. Ab inferiori ad superiori licita est argumentatio. Ergo si legitimè dicitur; Verbum factum est homo: vere etiam dicitur, factum est.

RESPONDETUR. Negando Consequen-tiam. Quia hic, usurpatio ipsius ly Verbum fa-

ctum est homo non habet se tantum, ut inferius ad superioris, sed simul ut esse secundum quid, & esse simpliciter, non valet autem consequentia, ab esse secundum quid, ad esse simpliciter, alias valeret Consequentia. Æthyops est albus secundum dentes: ergo est albus.

INSTAT. Nulla est ratio, cur non sint veræ hæ propositiones, Verbum factus est Deus homo, Verbum incepit esse homo - Deus.

RESPONDET Amicus, ad veritatem prioris necesse est, ut prædicatum ex toto suo explicito significato conveniat subiecto, alioquin valeret ista; homo est animal hinnibile, quia saltem convenit illi prædicatum ex una parte, cùm igitur hoc prædicatum, Deus - homo, explicitè importet utramque naturam, debet secundum utramque naturam convenire subiecto. Ad-dit, etiam hanc propositionem, Pater generat Filium Deum, quoad utrumq; extremum verificari; quia gignere non solum dicit productionem Personæ, sed etiam communicationem naturæ; gignere enim est generare sibi similem in natura. *Nihilominus*

ASSERO 2. Posse simpliciter dici, Christum incepisse.

RATIO 1. est. Quia nisi adsit periculum, possumus usurpare phrases, in quibus, quæ talibus, nullus est error. Et ex alia parte à viris doctis usurpantur: talis autem est prædicta locutio.

RATIO 2. Quæro an vera sit hæc proposi-tio, Christus est ab æterno: vel non? si non est vera: ergo si est, & non fuit ab æterno, incepit, quod si vera est, Christus est ab æterno: ergo Incarnatio facta est ab æterno. Probatur Consequentia. Quia Christus dicit totum respondens Incarnationi activæ: ergo si Christus est ab æterno, etiam Incarnatio erit ab æterno.

RATIO 3. est. Quia Christus dicit principaliter totum, ex naturis duabus, & personalitate, constitutum; sed hoc totum incepit: ergo.

RESPONDET Amicus. Quod si in se spectetur totum, sit principale simpliciter esse; sed si comparetur ad perfectius, non est simpliciter esse. Sic elementa extra mistum habent esse simpliciter, in mixto non item: Sed in illo habent non nisi esse secundum quid. Cùm ergo, esse substantiale naturæ humanae, conjugatur cum esse substantiali, divini suppositi, in Christo; re-latè ad esse substantiale divini suppositi, non di-citur esse simpliciter.

CONTRA est. Quia hæc responsio non tangit mentem argumenti, non enim hic arguitur, ab esse substantiali naturæ humanae; sed ab esse substantiali illius Totius, quod est Christus; quod non est ab æterno, imò si attendatur ad argumenti instantiam: sicut elementa in mixto non habent esse simpliciter, sed secundum quid, licet extra illud habeant esse simpliciter;

*x 5 sic &c

INDEX.

sic & persona divina, deberet non habere esse simpliciter, in toto hoc, quod est Christus; sed non nisi secundum quid, cum sit persona illius totius, quod est Christus.

CONFIRMATUR: Quia prædicta, quæ

sunt affirmativa, possunt dici de toto, (nisi quid aliunde obstat) etiam ratione unius partis; sed incipere esse, est prædicatum affirmativum: ergo potest dici de toto, quod est Christus, ratione partis, quæ est natura.

*Ethac balbutiimus de Divinissimo INCARNATIONIS Mysterio
& VERBO Incarnato.*

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b. M.

INDEX I.

TITULORUM IN HOC OPERE CONTENTORUM.

Prologus.

TRACTATUS I.

De iis quæ presupponuntur Decreto de Incarnatione 9

DISPUTATIO I.

De possibiliitate Incarnationis. ib.

QUÆSTIO I. An possibilias Incarnationis evidenter nosci possit? ib.

Difficultas I. Quid tenendum? 10

Difficultas II. Argumenta Lulli. 12

Diffic. III. Alia Rationes in Oppositum. 13

QUÆSTIO II. An possibilias Incarnationis cohæreat Principiis Theologicis? 18

Difficultas I. An salvâ Dei immutabilitate possibilis sit Incarnatio? ibid.

Punctum Difficultatis 1. Solvitur Objetio. ib.

Punct. Diff. 2. Explicatur Terminus Intrinsecus. 20

Punctum Difficultatis 3. Quomodo ab aliis salvetur Immutabilitas Dei? 21

Diff. II. Alia Principia ex Theologia Naturali. 25

Difficultas III. An possibilias Incarnationis cohæret principiis Theologie Christianæ? 26

Punct. Diff. 1. Expenduntur Responsiones. 27

Punct. Diff. 2. Affertur Responso. 28

Punct. Diff. 3. Afferuntur aliqua idem enodantia. 30

QUÆSTIO III. An principiis philosophicis cohæreat possibilias Incarnationis? 31

DISPUTATIO II.

De necessitate & convenientia Incarnationis. 33

QUÆSTIO I. De necessitate Incarnationis independenter à peccato. ib.

Difficultas I. An necessitatetur Deus ad optimum? ib.

Difficultas II. Examinantur aliorum Rationes pro eadem Conclusione. 37

Difficultas III. Respondetur Objectionibus. 40

Punctum Difficultatis 1. Respondetur ad authoritates, & Communiora Argumenta. ib.

Punctum Difficultatis 2. Solvuntur variae Paritates. 42

Punctum Difficultatis 3. Argumenta Recentiorum. 45

QUÆSTIO II. De necessitate Incarnationis, supposito peccato. 48

Difficultas I. An à pura creatura possit fieri satisfactio pro mortali condigna? ib.

Punct. Difficultatis 1. Deduciturne id bene, supposita infinite peccati, & quomodo? 49

Punctum Difficultatis 2. Rationes in oppositum. 51

Punct. Diff. 3. Deduciturne id bene ex titulo servitutis? 55

Punct. Diff. 4. Deduciturne id recte ex eo, quia mortale reddit indignum qualibet amicitia Dei? 57

Punctum Difficultatis 5. Deduciturne id bene ex penit. lo facilis offensa? 60

Punctum Difficult. 6. Deduciturne id bene, quia supponeret ut pars debiti remissa? 63

Punctum Difficult. 7. Rejiciuntur alii tituli. 64

Diffic. II. De variis satisfactionibus, & abolitionibus peccati, à pura creatura ponendis. ib.

Punctum Difficultatis 1. An pro veniali possit pura creatura satisfacere? 65

Punctum Difficultatis 2. An possibilis satisfactio pura creatura pro alieno mortali, & an gratia possit esse principium merendi alteri gratiam? 67

Punctum Difficultatis 3. An faltiem per modum meriti possit creatura abolere mortale condigne? 70

Difficultas III. An satisfactio Theandrica sit pro mortali condigna, hoc est infinita? 73

Punctum Difficultatis 1. Quomodo per alios derivatur in merita Christi dignitas infinita? 74

Punctum Diffic. 2. Mens de eodem Recentiorum. 76

Punctum Difficultatis 3. Satisfactio intento. 78

Punctum Difficultatis 4. An merita Christi sunt dignitudo præmio? 84

Punctum Difficultatis 5. An ita Persona divina valorem operum augeat, ac auget gratia? 87

Difficultas IV. Comparatur infinitudo meritorum Theandricorum, cum infinite peccati. 89

Punctum Difficultatis 1. Instituitur comparatio cum peccatis, quæ dantur. ib.

Punctum Difficultatis 2. Instituitur comparatio in aliis suppositionibus. 90

Punct. Difficult. 3. An unquamque opus Theandricum, sufficienter satisfaciat? 92

Difficultas V. An satisfactio Theandrica sit ex rigore justitiae? 93

Punctum Difficult. 1. An in satisfactio Theandrica sit alteritas rigorosa? 94

Punctum Difficult. 2. De aliis duabus conditionibus justitiae rigorosa. 96

Punctum Difficultatis 3. Quid sentiendum de aliis justitiae rigorosa conditionibus? 98

QUÆSTIO III. De convenientia Incarnationis. 100

TRACTATUS II.

De Decreto Incarnationis, & ipsa Incarnatione. 105

DISPUTATIO III.

De Decreto Incarnationis. ib.

QUÆSTIO I. Verum Incarnatio fuerit decreta, ante prævisum peccatum Adami? 108

Difficultas I. Proponuntur defendenda. ib.

Punctum

R
TH
ZIA
TO
D.
G

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN